ENGELBERTUS ADMONTENSIS

2. Hälfte 13. Jh. Seite 41r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26235
Copyright: Admont, Benediktinerstift

alia dicimus facere que faciunt organis et
instrumentis propriis ut videre oculis audire
auribus nostris et tangere manibus propriis.
alia vero dicimus facere instrumentis alie-
nis ut incidere cum cultello et secare
cum ferro et similia que non faciunt nec operantur
in actibus et effectibus nostris nisi moveantur
et dirigantur nostris instrumentis et orga-
nis propriis. Unde et cultellus non dicitur proprie et
principaliter incidere et ferrum secare sed ma-
nus incidit per cultellum et secat per
ferrum. sicut cum cultello et cum ferro.
¶ Est ergo differentia signorum Christi ad illa in hoc
quod Christus tamquam deus fecit signa et miracula
sua per seipsum in virtute propria non aliena.
et non prece vel oratione fusa ad alium.
sed per proprium verbum et imperium. et tamquam
auctor ipsorum et patrator. non tamquam
precator et impetrator. ¶ Sancti vero
fecerunt miracula non in virtute propria sicut
Christus sed in virtute fidei et gratie ipsius Christi. unde dicit
Augustinus libro x de civitate dei. Miracula
que divinam religionem commendant sive
per angelos fiant sive per eos qui deum secundum
veram pietatem colunt et diligunt. ipso
deo in illis operante fieri credendum est.

¶ Idem de trinitate libro iii capitulo xi. Sunt in
societate sanctorum sive homines sancti sive angeli
boni qui potestate dei cui cuncta subsunt et
subiecta sunt non fallacia sed vera et multo
maiora miracula fecerunt illis mira-
culis que per magicas artes fiunt.
¶ Est secunda differentia in eo quod sancti fecerunt
miracula non verbo solo aut imperio
sicut Christus sed suis eorum sive illorum precibus et meri-
tis exigentibus pro quorum fide et salute fi-
unt. tamquam alienis mediantibus in-
strumentis. sicut et per magos et malos
signa fiunt. ad malos ipsos vel alios
decipiendos. et de sua malicia et perfi-
dia convincendos et condempnandos ipsorum
culpis exigentibus. sicut illi qui dicturi sunt
domino. Nonne in nomine tuo signa fecimus
et demonia eiecimus. propter quod ipse dominus di-
xit ad lxxii discipulos. Luce x. No-
lite gaudere in hoc quod spiritus subiciuntur
vobis sed magis gaudete quoniam nomina
vestra scripta sunt in celis etc. Unde Augustinus
libro lxxxiii questionum. Aliter magi
faciunt miracula aliter boni aliter ma-
li christiani. Magi enim faciunt per privatos
consensus et contractus cum demonibus. Boni